

DISSERTATIO  
DE RERUM FENNICARUM Scriptoribus

ANTE CONDITAM ACADEMIAM ABOENSEM;

CUJUS PARTEM SECUNDAM,

IN UNIV. LITER. ALEXANDR. FINLANDENSI  
VENIA AMPL. ORDINIS PHILOS.

PUBLICO EXAMINI MODESTE SUBJICIUNT,

A U C T O R

**G A B R I E L R E I N ,**

*Phil. Doctor nec non Historiarum Docens,*

E T

R E S P O N D E N S

**JOHANNES HENRICUS RECKMAN ,**

*Stip. Arckenh. Ostrobotniensis.*

In Atrio Ven. Capit. Ab. Majori die XXIX Martii

MDCCCXXVIII.

h. p. m. c.

---

ABOAE, ex officina Typographica FRENCKELLIANA.

### DISSEMINATION

JOURNAL OF MATHEMATICAL LOGIC

fecit Olaus (Lib. II, cap. xxv), adhuc ibidem cernuntur, quamquam tam altæ non sunt antiquitatis, quam auctor tribuere voluit iisdem 7). Quæ de regio titulo & potentia Fennorum vetusta afferuntur (L. III, Præf.), non quidem verbo tenus sunt intelligenda, ubi illæsam retinere volumus veritatem historicam, attamen antiquorum Islandensium innituntur testimoniis; similiter Rosticphum (Rostiphum) Finnicum, post mortem deorum dignitati promotum (III, iv.) auctoritati debet Saxonis Grammatici & Joh. Magni 8). Neque in eo a veritate decedit, ubi Fennos Lapponesque ob artem magicam, cujus peritissimi habebantur, antiquitus famosissimos fuisse contendit (Lib. III, cap. xvi), eosque in incantationibus suis perficiendis usos fuisse carminibus magicis, aliisque ritibus superstitionis (Lib. III, cap. xvii), vel ubi de pellibus, in commutatione rerum, pecuniae loco adhibitis (L. IV, cap. III, L. VI, cap. XII, XVI), de Fennorum in agricultura 9), piscatione, in arte dolia lignea perficiendi, & arcus tractandi peritia (Lib. IV, cap. iv) commemorat. Agit deinde de conversione Fennorum ad fidem Christianam, Erico IX & Henrico Episcopo, quem falso Archipræsulem appellat 1), ducibus; exponit characterem majorum, laudat inter alia eorum hospitalitatem,

C

con-

7) Cfr Cel. Wallenii *Finska Ridderskapets ock Adelns Hist.* Åbo 1827, 4:o p. 17 sq.

8) Saxonis Gram. Hist. Dan. ed. Stephanius. L. III, p. 44. Jo. Magnus l. c. Lib. I; cap. X.

9) Figura aenea L. XIII, cap. III praemissa ejusmodi apud antiquos in usu fuisse rei agrariae instrumenta, qualia hodienum apud nostrates reperiuntur, demonstrat.

10) Successore Erici IX, Carolo Sverkeri regnante Archiepiscopalis demum dignitas Upsaliae instituta est, et quidem anno 1163 vel 1164. Cfr. Lagerbr. Sy. R. Hist. D. II, s. 377 f.

contenditque eosdem tardos fuisse ad iram, at si diu provocati fuerint, tarditatem magnitudine vindictæ compensasse (L. IV, cap. xviii), utrumque, ut nobis videtur, haud immerito. Quæ deinde (Lib. V, passim) de pugili insigni Fennico, Starchatero, ex auctoritate Saxonis Grammatici, asserturunt, ita jamjam fabulis sunt intertexta, ut vix aliquid veri inde erui queat 2). Præterea ex ingenio ut videtur eundem Tavastum (Lib. V, cap. iii) appellat, cum Saxo, quem ipse testem producit, tantum "in ea regione, quæ Svetiam "ab oriente complectitur, quamque nunc Estorum, aliarum "que gentium numerosa barbaries (qualis quippe Saxonis "tempore erat,) latis sedibus tenet, eundem originem duxisse" contendat 3), Sageæ vero Islandenses e Jotunheimia, in oriente Biarmiae sita, oriundum Starchaterum perhibeant 4). Quæ deinde de rebus nostratiū militaribus (L. VII, c. viii, x, xii, L. IX, c. xiii), de regiminis forma sub ditione Svecana (L. VIII, cap. xxvi, L. XI, cap. xv), de incursionibus gentium orientalium in Mælerum lacum (IX, xxxvi), de Fennorum in navibus ædificandis peritia (X, iii), de bellis mutuisque irruptionibus a Russis Svecis Fennisque invicem factis, moribusque in iisdem usitatis (L. XI, c. i—vii), & de armis Fennorum (L. XI, cap. xiii sq.) commemorantur, omnia ita sunt exposita, ut etsi ab erroribus non libera, tamen critice dijudicata & pensata, haud contemnedam Historico rerum nostrarum suppeditare queant opem. De agricultura ulterius tractans consuetudinem in cinerem agrorum sylvestrium seminandi, veritati convenienter exponit (Lib. XIII, c. v). Fennos hordeum optime præparasse,

ex

2) Vid. Saxonis Gramm. Hist. Dan. ed. Steph. Lib. VI, p. 103, VII, p. 124. Cfr. Müller om Kilderne til Saxo S. 77 ff. in libro: Det K. Danske Videnskabernes Selskabs Philos. og Hist. Afhandlinger, 2:en D. et Dahlmanns Forschungen auf dem Gebiete der Gesch. Th. I, s. 268 ff.

3) Saxo p. 105.

4) Müller l. c. p. 78.

ex eoque cerevisiam maxime æstimatam coxisse (XIII, xxvii), aliis quoque testimoniis historicis probatur 5). Sequitur de vasibus ligneis, a Fennis subtiliter elaboratis (XIII, xxxviii), quorum conficiendorum hodienum callent peritia; de caseo ab iisdem præparari solito (XIII, xlvi), de bus agriculturæ adhibitis (XVII, iv), de equis Fennicis ob qualitatem laudatis (XVII, viii), qua in re cum Annalium Russicorum testimonio convenit 6): neque attentione indigna esse putamus quæ deinde sub finem operis passim de animalibus Fennicis afferuntur. -- In conscribendo opere hocce parum, ubi res exposuit antiquiores, ipsa consuluit documenta historica, verum ea tantum narravit, quæ aliis Scriptoribus, præsertim Saxone Grammatico & fratre suo Joh. Magno, quos sæpissime testes profert, e fontibus jamjam erant eruta atque exposita; & in enumerandis regionum borealium memorabilibus maximam fidem habuit iis, quæ ab Auctoribus antiquis, Græcis nimirum & Romanis, eorumque in medio aeo successoribus, sunt enarrata; reliqua & præser- tim quæ de statu patriæ, qualis ejus erat ætate, traduntur, e propria experientia & coævorum hausit indiciis. Ut vero nostrum de opere Olai Magni paucis verbis exponamus judicium, fatendum quidem est, auctorem nostrum non eo præditum fuisse ingenii acumine, neque rerum peritia, ut scriptorum aliorum effata atque indicia recte dijudicare potuerit, quare auctoritati eorum nimis confidens sæpe in errorem abductus est; neque coævos suos penitiori superavit naturæ cognitione, sed credulitati spississimæque suæ ætatis superstitioni addictissimus, méri fabulis & nugis haud raro fidem tribuens, easdem utpote res veras & certas enarravit; interdum etiam nimio in terras boreales, ubi natus erat, amore permotus, easdem

5) Cfr. Åbo Tdng. för 1784, s. 69 f.

6) Chronicon Novgorod. I partem Careliae equarum frequentem appellat, p. 602.

pulchriores quam revera sunt exponere studuit. Sunt vero haec, quæ auctori nostro in vitium verti possunt, menda plurima ejusmodi, ut ætati, qua vixit, maxima eorum culpa haud immerito tribui debeat: floruit namque tempore tanta adhuc superstitione demerso, ut eadem laborarent viri summa doctrina illustres, & cognitio naturæ adeo erat manca, ut absurdissimæ fictiones crederentur, neque igitur mirandum, Olaum nostrum quoque genio coævcrum litasse; unde rerum borealium exornandarum studium unicum restat eidem merito in vitium vertendum. Plurimæ vero hinc natae auctoris nostri narrationes tales sunt, ut minor earum vis absque magno negotio possit dijudicari, neque igitur nugæ hæce facile quemquam decipient; quæ autem ceteroquin ab eodem afferruntur, non ita fide indigna nobis videntur, quin in summo quo laboramus monumentorum antiquorum defectu, critico judicio æstimata atque æqua lance pensitata, emolumendum haud contemnendum suppeditare queant morum priorum indagatoribus, conditionique Fenniae, qualis tunc temporis erat, illustrandæ inserviant; unde Olaum Magnum rerum Fennicarum scriptoribus inserere, eumque in pagellis antea a nobis in lucem emissis, opportuna data occasione, testem proferre, haud dubitavimus. Editiones varias, æque ac versiones operis dijudicati, enumeratas exhibit Ampl. Warmholz in Bibl. Sveogoth. Historica, T. III, p. 146 sqq., unde easdem heic silentio transire ratum habuimus.

Omnium, qui post introductam in Fenniam doctrinam evangelicam, antiquitatem nostram indagandam suscepserunt, primus afferendus est M. MICHAËL AGRICOLA, qui in parœcia Perno, provinciæ Nylandensis, natus, prima in litterarum elementis Wiburgi posuerat fundamenta, unde Aboam vectus, Episcopi Martini Skytte factus est scriba, deinde Wittebergam missus, ibique Magistri honoribus munitus, testimonio Lutheri honorisculo ornatus in patriam rediit, ubi Rector consi-

stitutus est Scholæ Aboënsis, tum a consiliis & Vicarius Episcopi senio jam confecti, tandemque post obitum ejusdem Episcopus Aboënsis creatus, qua dignitate fungens, e legatione in Moscoviam suscepta redux, A:o 1557 morti occubuit. Versioni suæ Fennicæ Psalmorum Davidis, A:o 1551 Holmiae 4:o editæ, carmen præposuit<sup>7)</sup> Fennicum, quo miserandam rerum divinarum cognitionem in patria tempore paganismi & doctrinæ Catholicæ prevalentis demonstrare voluit 7), deorum cultum apud Ethnicos Fennos usitatum, ritusque superstitiosos ad Catholicismi usque ætatem conservatos breviter adumbrans. Psalterio tamen hocce, magis jam raro, fatali Bibliothecæ Academicæ incendio nobis erepto, carmen laudatum nomisi in Bångii Historia Ecclesiastica de Priscis Sveo-Gothicæ terræ Colonis L. VI, cap. vi perlegerre licuit, unde quale ibidem occurrit, quoque dijudicabitur a nobis, insciis præterea, numne exemplum cura ipsius Agricultæ excusum paullo fuerit copiosius. Totum populum in Tavastos & Carelios, ut videtur, distribuens, auctor utrique genti diversos adscribit deos, seorsim enumerans, indicatis insimul breviter eorum negotiis, Tavastorum novem numina: Tapio, Ahti, Åinämäinen (Wainämöinen) Rahkoi, Liekkio, Ilmarinen, Turisas, Kratti, Tonttu, quibus accedunt genii mythologici, Kapeet & Kalevan pojat appellati; Careliorum autem duodecim, scilicet Rongoteus, Pellonpekko, Wirankannos, Egres (Eures) 8), Kondös, Ukko, Rauni, Kekri, Hiisi, Weden Emä, Nyrkes & Hittavanin, præter quos genii quoque mortuorum, Menninkäiset dicti, divino prosequebantur honore. Cognitionem horum numinum maximam ad partem ex antiquis Fennorum carminibus, sic dictis Runis, haustam esse probabile videtur, quorum quum tantum fragmenta, temporum iniquitate, nobis restant, in quibus plerique ab Agriculta

7) Vid. Åbo Tidng. f. 1796, N:o 15.

8) Cfr. Lexic. Fennic. Auct. Renwall sub Egres.

cola commemorati dii desiderantur, non mediocrem ad indagandam Mythologiam nostram poëma hocce breviusculum vim afferret, si plenam eidem habere auderemus fidem. Occurrunt autem in catalogo hocce numinum appellationes, partim genio Fennicæ linguae alienæ, e. c. Rongoteus & Wirankannos, partim a Svecis manifeste mutuatæ, ut Kratti, unde apparet haud critico judicio indicia sua congesisse nostrum. Pariter distributio deorum inter Tavastos & Carelios haud immerito suspecta videbatur Rev. Lencquist 9): reperiuntur namque in diis Tavastorum varii, e. c. Wainämöinen, & Turisas, quorum Carelii quoque notitiam habuisse videntur 1), & vice versa, unde rectius forte dii potentiores ut pote utriq[ue] stirpi communes describendi fuissent, dii vero minorum gentium, (quales erant diversorum animalium sylvestrium, sciurorum, leporum etc., vel olerum & herbarum, ut pisorum, raparum etc. patroni,) separatim annumerandi; longo namque temporum intervallo, quo lacubus, paludibus & silvis distincti vixerant Tavasti & Carelii diversos minores colendi deos ansam sine dubio habuerunt, quamvis quos communes in originariis suis habuerant sedibus, neque separati oblivioni tradere potuerunt, nec qui cultu dignissimis anumerabantur apud unam stirpem, alteri ignotos permansisse credibile videtur. Præterea brevitate sua laborat opus Agricoleæ, obveniunt namque in Runarum reliquis multo plura numina, quam quæ in catalogo hocce occurrunt commemorata, uti facile persuadere sibi potest, qui Mythologiam Fennicam a Præcl. Ganander conscriptam consulere velit. Nilominus, præsertim in minorum deorum serie varii quoque afferuntur in Runis desiderati, quorum appellationes sunt mere Fennicæ, unde colligi potest, eosdem apud Fennos

re-

9) De superstitione veterum Fennorum theoretica et practica;  
Praes. Porthan, p. 6.

1) Cfr. si placet Diss. nostram de vetere Carelia p. 51.

revera fuisse cultos. Exponuntur præterea de sacrificiis, variisque ritibus superstitionis non solum in Ethnicismo, verum in Catholicismo quoque apud majores usitatis, ætati antiquiori indagandæ aliquatenus inservientia, ideoque ab omnibus fere rerum nostrarum Scriptoribus, præsertim Mythographis consulta. Quare quamquam opusculo huicce haud magnum tribui possit pretium, memoratu dignum tamen illud censimus, utpote primum Mythologiae nostræ exponendæ periculum, a viro susceptum, immortaliter de Ecclesia nostra evangelica merito, qui scilicet primus Scripturæ Sacræ, in nativo sermone legendæ, nobis fecit potestatem 2). Merita & fata Agricolæ, prolixiori narratione exposita qui perlegere velit, Juusteni adeat Chronicon Episcoporum a Cel. Porthan editum, p. 59 sqq., annotationesque editoris, eidem operi affixas p. 753—755, ubi etiam libri ab eodem in lucem emissi recensentur. Videas quoque Rhyzelii Episcoposcopiam, D. I, s. 344 f.

Sequitur cœvus Agricolæ, eidemque meritis de Ecclesia nostra vix inferior, M. PAULUS JUUSTEN. Natus Wiburgi vel in vicinia ejusdem, ubi hodienum prædio cuidam nomen est Juustila 3), Scholisque Wiburgi & Aboæ frequen-

2) *Opera Fennica in usum Ecclesiae ab Agricola edita, versionesque variorum, e Sacris Bibliis, librorum confectae afferuntur a præcl. C. N. Keckman in: Förteckn. å härtills vetterligen tryckta Finska Skrifter, s. 1, a. Cfr. Åbo Tdng. f. 1796, N:o 15, 16.*

3) Possedit olim prædium hocce Episcopum nostrum inde colligas, quod nepos ejusdem ex filia, Consul quoddam Wiburgensis, Joh. Rosencroel, dominum in *Justila* sese appellaverit. Cfr. Porth. ad Juust. p. 767. Num tamen in ipsa urbe fundus fuerit, nomine *Juustila* significatus, quod quidem suspicabatur Cel. Porthan (l. c. p. 766), quia in vicinia fuisse perhibetur fundi cujusdam *Dominicanorum* (*Svarterbrö-*

quentatis, lector mensæ Episcopi Martini Skytte factus est; sacris ordinibus deinde initatus, & Wiburgum missus, per biennium fere muneri Rectoris Scholæ vicarius præfuit. Quo negotio peracto, A:o 1545 iter in Germaniam suscepit, & Wittebergam adiit, ubi per triennium commoratus, aliis etiam quibusdam visitatis Academiis Germanicis, summis in Philosophia honoribus est auctus, posteaque litteris Melanchthonis instructus commendatiis, patriam revisit, A:o 1548 Rector Scholæ Aboënsis constitutus. Anno deinde 1554 primus Episcopus Wiburgensis est factus, indeque A:o 1565 ad sedem Episcopalem Aboensem translatus <sup>4)</sup>; quo munere fungens, doctrinæ Christianæ in Fennia demonstratus initia & incrementa, ejusque emendationem Gustavo I regnante peractam, Chronicum Episcoporum Finlandensium, in usum præsertim sacerdotum suæ dioceseos compositum, manu scriptum in lucem emisit, quod res gestas & fata omnium Episcoporum, qui ad sua usque tempora, tam fidei Catholicæ quam Evangelicæ addicti, Ecclesiæ Fennicæ præfuerant, vinti sex numero, ab anno 1157 ad annum 1563 ordine chronologico continet allatos. Præfatione, quæ occupationem & ad fidem Christianam conversionem Fenniæ demonstrat, præmissa, ipsum Chronicum Fragmentum tam diligenter sequitur Palmskoldianum, ut verbotenus haud raro cum eo conveniat, eundemque rerum enarrandarum & taxandarum modum, immo ingenium Catholicæ doctrinæ addictum retineat immutatum.

---

der Closter-gården), nobis non constat; potuerunt enim Monachi etiam ruri in vicinia praedii Juustila fundum quendam habere.

<sup>4)</sup> Vitam nostri expositam reperiet B. L. in Rhyzelii Episcoposcopia Stockh. 1752 Del. I, s. 346 f.; copiosius vero in Chronicis eius a Porthan edito, cui coronidis loco, e Fragmento biographiae Juostenianae et aliis antiquitatis documentis congregata, affixa est.

tum. Si quasdam anni notas, a Juusteno additas, exceperis, in exordio operis alia non enarrantur, quam quæ in fonte isto antiquo jamjam sunt exposita, in vita vero Thomæ, Episcopi ordine quarti, quædam adduntur, in eodem desiderata, & quo longius procedit opus, eo crebriora fiunt ejusmodi additamenta ex aliis documentis hausta. Nullibi tamen tam frequentia eadem obveniunt, quin primarium locum semper obtineat Fragmentum Palmskoldianum, in quo quum nonnisi paucis verbis singulorum Episcoporum expositæ sint vitae, Juusteni quoque Chronicon, præsertim ubi antiquiora tangit tempora, Antistitium fata breviter tantum absolvit. Additamenta ista hausta videntur e documentis, jamjam temporum iniquitate nobis eruptis, uberrimum autem monumentorum antiquitatis horreum, librum scilicet privilegiorum Ecclesie Aboensis in opere concinnando usurpatum fuisse, credibile non duximus, quia tum volumen longe prolixioris ambitus certe concessisset noster, neque in colligendis tantum Episcoporum vitis, sicuti prædecessores easdem scriptas reliquerant, ut ipse profitetur (p. 9), subsistere potuisset, verum singulis codicis istius pensitatis & dijudicatis litteris ac monumentis, ipse opus conscribere suamque propriam eidem inserere debuisset mentem, neque in rebus maximi momenti ab eodem decessisset 5), nec tandem alia scitu dignissima, in collectione ista documentis probata, silentio transiisset. Quum tamen vix cogitari potest, privilegia Ecclesiae Cathedrali concessa, ejusdemque in actis asservata, quantumvis ceteroquin tempore reformatæ doctrinae jamjam diminuta, Antistiti ejusdem plane fuisse ignota, verisimillimum videtur

Dobrjo manuscr. Juu-

5) Narrat e. c. Fennis tempore demum Magni Tavast, ab anno 1412 ad a. 1450 pontificis, jus regem eligendi et ad committia regni legatos mittendi concessum esse, quum tamen in libro Privilegiorum litterae serventur Haquini, Regis, A:o 1362 datae, privilegium hocce majoribus jam tum concedentes. (Fol. 39).

Juostenum munieris quo fungebatur, gravissimi negotiis dentum, ista inconsulta relinquere, & in brevi Episcoporum catalogo subsistere coactum fuisse, ideoque omnino in animo habuisse, documenta in usum historie nondum adhibita negligere, & tantum ea, quæ ab aliis in unum erant collecta, rebusque nostris illustrandis jamjam parata in opere suo proponere. Ejusmodi documenta paullo uberiora affluxisse videntur Juostenus ab eo inde tempore, quo ad cathedram Episcopalem promotus est Magnus Olai Tavast, quæ tamen haud diligentius prioribus examinata, qualia, a viris doctrinæ Romanæ addictis, inventi conscripta suo inseruit Chronico; quod ex initio operis ad vitam usque Arvidi Kurck, anno 1510 ad Episcopalem dignitatem evecti, colligi potest, ubi mens Catholicismo addictissima, ideoque sententiae Juosteni, in schola Lutheri & Melanchthonis educati, plane opposita, sese prodit. Hac vero via odiosam istam historicorum plurium evitavit consuetudinem, majorum mores & res gestas ex suæ ætatis indole genioque judicantium ac pensitantium, omniaque suæ intelligentiæ minus arridentia ævo antiquo in vitium vertentium. Itaque, paullo prolixiorum si excepéris ambitum, quamdui antiquioribus auctor usus est documentis, Fragmento Palmskoldiano simillimum restitit opus, nisi quod in isto desideratas vitas Magni de Särkilax, Laurentii Sturpå & Johannis Olavi eodem quoque genio papistico habeat descriptas, unde sententia quam de Fragmento Palmskoldiano supra tulimus, de maxima quoque operis Juosteniani parte valet. Ultimi demum Episcopi Finlandensis Romano-Catholicæ, Arvidi Kurck, fata ipse enarranda suscepit noster, & que ac successorum ejusdem proximorum Martini Skytte, Michaëlis Agricolæ & Petri Follingii, cui deinde ipse in sede Episcopali Aboënsi successit. Vitam Arvidi, utpote minus sibi notam, pánctis absolvit, tantum de morte ejus calamitosa, quæ dum, insidias Christierni II evitaturus, in Sveciam trajiceret, in mari Bothnico accidit, quodammodo prolixius narrans. Aequaliter in fatis quorundam virorum no-

(cc. 101) 203

bi-

bilium, regio jussu interemtorum, recensendis diutius immoratur. Transiens deinde ad fidei commutationem, de meritis Petri Särkilax, primi in patria, vacante sede Episcopali, doctrinæ purgatae nuncii atque interpretis, disserit, quoque modo pedetentim ritus papistici abrogati, missa permutata, cæremoniæque novæ institutæ sint, in vita Martini Skytte ulterius exponit. Allatis Skyttii prioribus, antequam Episcopus creatus esset, satis, moribusque ejusdem laudatis, juvenes viros ab eodem ad exteriores, scientiarum ediscendarum caussa, missos enumerat, quæque præterea tam in vita Episcopi, quam in Ecclesia Fennica in universum notatu digna videantur, enarrat. Similiter Agricolæ juventutem, studia in patria & apud exteriores, administrationem rectoratus Aboënsis, opem Martino Skytte, senio confecto, præstitam, ad dignitatem Episcopalem electionem, resque in eadem gestas exponit; neque opera ejusdem in usum Ecclesiae edita enumerare, nec alia ejus merita afferre omittit, etsi minus favere videatur viro, cuius sata describenda sibi proposuerat, æmulatione forte duorum doctrina tam excellentium, quam de patria optime meritorum virorum sensus ab alienante. Petri Follingii vitam brevius absolvit noster, quia mores viri in universum minus laudandi fuisse videntur, & religioni habuit auctor, nævos membrorum Ecclesiae potius tegere quam detegere. Justam tamen suam improbationem reticere haud vallet, idiomatici Fennici omnino imperitum, consilio quidem virorum quibus populi lingua erat invisa, electum fuisse primarium ejusdem præceptorem atque verbi divini nuncium, solidæ quamvis doctrinæ laudibus admodum insignem commemorans. — Conquestus deinde de morte Regis Gustavi, quem patrem regni haud immerito appellat, & commemorata electione sua in Episopum Aboëensem & M. Canuti Joannis in Episcopum Wiburgensem, finem operi imponit. In animo quidem Juusteno fuisse, paullo copiosiorem suæ ætatis historiam Fennicam posteris relinquere, e verbis in vita Agricolæ occurrentibus colligas, ubi de bello tunc temporis gesto

sto in posterum breviter commemorare promittit; cui consilio tamen neque ac humanis multis aliis, fatorum iniquitas obstatisse videtur. Breve hocce nobis relictum Chronicon, non nisi XXXVII plagulas, in 4:a quam ajunt forma, typis exaratum continet, nihilominus respectu habito penuria monumentorum historicorum, auctori summam posterorum promeruit gratiam, primariumque semper manebit antiquitatis nostrae monumentum; unde etiam codicibus manu scriptis diu circumlatum, pluribus iamjam rerum nostrarum scriptoribus multo fuerat usui, cum tandem typis istud divulgandum suscepit Nob. Nettelbladt, Professor t. t. Gryphisvaldensis, in libro Schwedische Bibliothec, Erst. Stück, appellato, ubi a pag. 62 ad p. 91, subpositis notis brevissimis historicis, occurrit impressum, continuata insimul ab editore Episcoporum serie ad diem usque, quo in lucem prodii opus. Praetenquam autem, quod non optimae notae codice usus erat Nettelbladt, variis quoque mendis typographicis foedata est editio hæcce, quare Cel. Porthan operis de nro divulgandi cepit consilium, & particulatim Dissertationibus Academicis in lucem id emisit. Huic editioni quædam etiam irrepserunt vitia typographica, sed accurato catalogo sub finem sunt emendata. Annotationibus præterea tam copiosis instruxit Chronicon hocce Porthan, ut in horreum jam historiæ nostræ creverit. Prodiit sensim opus Aboæ ab anno 1784 ad annum usque 1800 in LVI particulas divisum, 4:a quam volunt forma, ejus tamen ulterior recensio non ad præsentes pertinet pagellas. Cætera a Juusteno elaborata opera recenset Cel. Porthan in Biographia illius supra laudata l. c. p. 763, 64; quorum tamen, præter typis mandata, dubito an ullum hodie exstet, cum codices manuscripti, diligentiae & eruditiois auctoris nostri documenta: "Explicatio scilicet Evangeliorum Dominicalium, præcipuarumque feriarum totius anni" & "oratio synodal is A:o 1573 habita" in Bibliotheca nostra Academica, ad infastum istum diem con-

servati, quo per secula collecta quæ erant una cum patrum memoria interire vidimus, igne quoque consumiti sunt. Libros nostri sermone Fennico, usui Ecclesiæ typis editos, exhibet quoque Pracl. Magr. Keckman l. c. p. 2; præter quos Rev. Rhyzelius (Episcoposcopia T. II, p. 151 sq.) Epistolam laudat latine scriptam & anno 1564 Pastoribus Fenniæ borealis missam. Narrationem nostri de legatione sua Russica, quam A:o 1775, tribus Dissertationibus Academicis ediderat Portianus, deinde excudendam curavit Professor Dorpatensis, Consiliarius Status Actualis & Eques Cel. Ph. G. Ewers, in tomo decimo operis: Sammlung Russischer Geschichts inscripti. — Commemorare simul liceat Dissertationem continentem: "Positiones historico-politicæ, e Chronico Episcoporum Msc. "Pauli Justen excerptas," a Cel. Scarin A:o 1726 conscriptam, in libro Schwed. Biblioth. Erst. Stück p. 92—95 iterum edidisse Nob. Nettelbladt, & Cel. Bilmark Dissertatione Academica in duas partes divisa "Hypomnemata in Chronicon Episcoporum Aboënsium a Paulo Justen consignatum" Aboë 1771, 1772, pp. 52 in lucem emisisse.

Sequitur SIGFRIDUS ARONUS FORSIUS, vel HELSINGFORSIUS, nomine ex urbe sua natali Helsingforsia desumto, qui celebratissimis sue ætatis Astronomis & Matheseos peritis annumeratus A:o 1600 a Rege Carolo IX Lapponiam missus, una cum comite sibi adjuncto Hieronymo Birckholter, situm Geographicum septentrionalis istius plagæ determinavit, primusque terram continentem haud ultra gradum 75:tiuum porrigi demonstravit; A:o 1605 Physices & Astronomiae Professor Upsaliæ creatus, deinde A:o 1608 Astronomus Regius & tandem, perpessis variis fatis iniquis ac infastis, A:o 1613 Pastor parœciae in Quercuum peninsula (Ekenås) est constitutus; quo munere fungens, A:o demum 1637 curarum & anorum multitudine aggrauatus, vitam cum morte commutavit.

vit 6) Etsi plurima studia operibus mathematicis & astronomicis, haud raro etiam somniis astrologicis, futura descendendi cupidus, devoveret, Chonicon tamen Fennicum etiam conscripsisse perhibetur a Messenio, qui eundem rerum Scandianarum scriptoribus a se consultis annumerat 7). Chonicon hocce una cum aliis documentis historicis manu scriptis Messenio erectum, aliquamdiu cum iisdem conservabatur, quorsum autem tandem venerit, hucusque ignotum est; unde verisimillimum videtur totum opus jamjam interiisse. Quale præterea fuerit, quam amplum, quaque lingua conscriptum, plane nos latet, nisi forte e titulo, a Messenio indicato, Svecano colligas, librum Svetice fuisse conscriptum 8). Mens quidem credula, vana religione capta, acutiori ingenii acumine minime subacta, in cæteris Forsii scriptis sese prodens, ansam præbet colligendi, non eximii fuisse pretii Chonicon hocce, attamen doctrina viri suo tempore insolita multifariorum ab eo, rei nostræ antiquæ illustrandæ gratia, congestorum documentorum jacturam, etsi a Messenio operibus suis historicis sint inserta, maxime dolere nos jubet, considerantes, quantum hicce ad arbitrium fontes suos explicaverit. Contendit præterea Wexionius, Sigfridum Arnum Forsium aliud quoque opus, antiquitati nostræ explicandæ destinatum, Mythologiam scilicet Fennicam, & quidem metrice descriptam, composuisse 9), in quo tamen asserto erro-

6) Vitam nostri copiosius exposuit S. Lönbom in libro: Lefvernes-Beskrifning öfver Prof. och Kyrkoherden S. A. Forsius. Stockh. 1772 8:o, quem igitur fatorum viri plenius cognoscendorum cupidus adeat Lector.

7) Scondia Illustrata, T. XIII, p. 86. Lönbom l. c. p. 39.

8) Lönbom l. c.

9) Wexionii Epitome descriptionis Sveciae, Gothiae, Fenningiae et subjectarum Provinciarum. Aboae 1650. L. X, cap. II.

errorem irrepsisse maxime nobis credibile videtur. Conveniunt namque patica quæ inde profert Wexionius, brevitatis studio singula enumerare omittens, ita omnino cum carmine Agricolæ jamjam dijudicato, ut non modo ordine deorum recitato, verum etiam ipsis verbis idem haud raro referant. Sic e. c. habent:

Agricola:

Wexionius:

|                               |                                   |
|-------------------------------|-----------------------------------|
| Rongoteus ruista annoi,       | Rongoteus secalis,                |
| PellonpeKKo ohran kaswon soi, | Pellonpecco hordei,               |
| Wirankannos kauran kaitsi;    | Wirankannos avenæ satiōni favens; |

& porro:

|                               |  |
|-------------------------------|--|
| Egres pawut, Ierneet, nauriit | Egres olera, pisa, rapas, līnum cannabimque protegre creditus est; |
| Kaalit, līmat ja hamput edes- |  |
| toi;                          |  |

ut cætera haud minus similia prætereamus; unde manifestum nobis videtur, a Wexionio fuisse consultum Agricolæ carmen, quod inde forte Forsio tribuit, quia, nulla operis Agricolæ talis praeiente notitia, in scriptis Forsii collectaneis erat repertum. Opera omnia nostri exhibet Lönbom in libro laudato; de calendariis vero ejusdem speciatim, variisque in iisdem, e cometis aliisque phænomenis cœlestibus haustis, obvenientibus divinationibus, sic dictis Prognosticis, consultatur: Förteckning på Svenska calendarier för hvarje år ifrån 1600 till och med 1770, samt på en del af de däruti befinnande åtskillige underrättelser, af J. Björnstjerna. Ups. 1771. 8:o.

Succedit ordine proximus JOHANNES MESSENIUS, vir summa doctrina ornatus, & ob eximiam, qua in litteras incubuit, diligentiam laude dignissimus, eoque magis propter fatum

fatum multorum annorum serie perpessum, gravissimum, miserandus, qui primum Juris & Politices Professor Upsaliensis, tum Dicasterii Supremi Stockholmiensis Assessor, denique autem conjunctionis perniciosa cum regni hostibus, praesertim Polonis, argutus crimine, nimisque in doctrinam Catholicam favoris suspectus, forte etiam ob alias caussas proceribus inquisitus, A:o 1616 Cajaneburgum est missus, ubi ad annum usque 1636 dura detinebatur captivitate, quo tempore tandem liberatus Uloae A:o 1637, aetatis quinquagesimo sexto, e vita decessit 1). Praeter quæ in rebus Sveticis exponendis quasi in transitu de Fennia enarrat Messenius, dñs reliquit opera fatis patriæ nostræ illustrandis speciatim destinata. In opere nimirum rebus Scandianis & praesertim Svecanis exponendis dicato, *Scondia Illustrata* inscripto & in viginti libros, vel sic dictos tomos diviso 2), quorum tamen XIV tantum, nimirum a Tomo I ad XIII, & Tomi XV typis sunt excusi, peculiari occurrit pars, Tomis scilicet decimus, Fenniæ & vicinarum quarundam terrarum complectens historiam, sequenti speciali ornata titulo: "Chronologia de rebus Venedarum Borealium, ad Scondiam jure pertinentium, scilicet Finnorum, Livonum & Curlandorum, ab ipso ferme orbis diluvio ad an. Chr. 1628 gestis" Holmiæ 1703, pp. 44. Fol. Rubrum hoc jam demonstrat quam parum critico ingenio prædictus fuerit auctor, qui perverso suæ aetatis, quantum fieri potuit ex antiquissimis inde temporibus ejusdemque gentis origine in deducendi studio com-

1) De fatis nostri breviter agit Nob. Adlersparre in opere "Historiska Samlingar" inscripto, documenta ad litem Arnoldi Messenii, qui nostri erat filius, pertinentia, divulgans, in quibus odium, quo in omnes flagrabant Messenios optimates, in iisque vir ob alia sua merita immortali memoria celebratus Ax. Oxenstjerna, manifeste sese prodit.

2) Cfr. Warmholz Bibl. T. V, p. 57 sq.